



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

Binsfeld, Peter

Avgvstae Trevirorvm

VD16 B 5530

Dvbivm Circa Dictam Conclusionem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41113

Quinta Conclus. Si quis ex somnis prædicat futura, quando procedunt ex reuelatione diuina, non peccat, sed licitum est.

CONTAT ex sacris literis. Genes. 15. Cùmq; sol occüberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eum. Dictumq; est ad eum: Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit sementum in terra non sua: & subiçtent eos seruituti, & affligerent quadringentis annis. & Genes. 40 & 41. Ioseph interpretatus est somnia. Matth. 1. Angelus Ioseph apparuit in somnijs, & futura prædictit, & Matth. 2. Magi in somnis acceperunt responsum, ne redirent ad Herodem: per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Et ibidem. Defuncto Herode iterum Angelus Domini in somnis Ioseph apparuit in Aegypto, dicens. Surge & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Israël, defuncti sunt enim qui querunt animam pueri.

D V B I V M C I R C A D I- ctam Conclusionem,

Quare Deus potius in somnis reuclat futura, quam in vigilia?

RESPONDET S. Bonavent. in 2. d. 25. quæst. ultima. Primò, quia anima in vigilia dispersa est ad exteriora sensibilia, & sic minus

Kk 2 apta

apta compræhendere reuelationes à Deo. Hanc cauſam etiam insinuat Hypocrates in initio libri de insomnijs, dum docet animam hominis in vigilia grauibus distineri negotijs, curisq; distrahi: per sensus etiam exteriores euocari ad ea quæ extra ipsum sunt, & per varia eorum sensuum spectacula diuagari, multiplicijs rerum humanarum strepitu interpellari, & à sui rerumque cœlestium consideratione auocari. Contrà vero in quiete & somno ab eiusmodi omnibus interpellationibus & impedimentis vacuus est animus, sibi totus præsens est, sibiq; attendit, & vires suas collectas habet. Secundò, quia Deo sic placet sœpius ad occultationem sui luminis, qui posuit tenebras latibulum suum. Tertiò, quia homo in somnis magis agitur, quam agat, & in reuelatione plus se habet per modum suscipientis, quam agentis. Ultimò, quia dicente Deo Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet. Ideò secundum quod dicit Gregorius non potest homo Deum videre, & eius reuelationes, scilicet de lege communiori loquendo, nisi quando abstractus est à sensibus, vt quasi dicatur non viuere vide licet secundum sensuum usum exteriorem. Sed quia homo in somno est medium tenens inter mortuum & viuentem, quodammodo à vita recedit; Ideo sic ordinavit Deus fieri reuelationes supernaturales in somnis, quando homo naturaliter non habet usum rationis, ut

o. Hanc
nitio li.
ominiis
urisque
ocari ad
eorum
ficiq; re-
& à sui,
uocari.
usmodi
imentis
, sibiq;
Secun-
ultatio-
latibu-
nis m.
e plus se
agentis.
on vide-
m quod
eum vi-
ge com-
actus est
re vide-
riorem.
n tenens
modo
eus fieri
s, quan-
n ratio-
nis, ve

nis, ut Deo soli attribuatur laus gloriæ.

Sexta conclusio. *Reuelatio futurorum
eventuum in somno à Dæmoni impressa,
non est licita.*

QVIA huiusmodi reuelatio procedit ex pacto tacito vel expresso Dæmonis, qui decipere semper contendit.

Quando dubium, an reuelatio in somnis facta sit à Dæmoni, vel bono spiritu, non est præcipitandum iudicium, sed probandus spiritus si ex Deo sit. In qua re multa sunt consideranda de probationibus spirituum, de quibus multa scribunt Ioannes Gerson in tract. de probationibus spirituum. S. Vincentius. in tract. de vita spirituali, & plurima ad hanc materiam doctè colligit Bartol. Medin. in 3. part. S. Thomæ. q. 25. art. 3. Pererius loco cit. q. 3.

QVAESTIO. III.

An diuinatio per sortes sit omnino reprobata?

TRACTANT S. Thom. q. 95. art. 8. S. Antonin. 2. par. t. t. 12. cap. 1. §. 9. Sylvest. in verbo Supersticio. q. 9. Alij in verbo Sors aut. Sortilegium. Turrecre. in 26. q. 2. in principio: Archidiac. ibidem. can. Sors. Canonistæ cum text. in tit. de Sortilegijs, maximè in cap.

Kk 3

Ecclesia